

Digitaliseret af | Digitised by



**DET KGL.
BIBLIOTEK**

Royal Danish Library

Forfatter(e) | Author(s):

Titel | Title:

Colbjørnsen, Jacobus Edvardus.

Dissertationem inauguralem de dominio minus pleno, quod in fundos habent rustici Danici, qui in cod. Dan lib. 3. cap. 12. Selveyer-Bønder dicuntur.

Udgivet år og sted | Publication time and place: Hafniæ : typis Augusti Friderici Steinii, 1774

Fysiske størrelse | Physical extent:

[8], 32 s.

DK

Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk altid at kreditere ophavsmanden.

UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.





81 - 317.

Det Kgl. Bibliotek



130025718705

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
DE
DOMINIO MINUS PLENO,
QVOD

IN FUNDOS HABENT RUSTICI DANICI, QVI IN COD. DAN.
LIB. III. CAP. XII. *Selvenet: Bender* DICUNTUR.

INTER

FESTA NUPTIALIA
CELISSIMI ATQVE SERENISSIMI PRINCIPIS
FRIDERICI,
DAN. NORV. VANDAL. GOTH. PRINCIPIS HÆREDITARII,

CUM

CELISSIMA ET SERENISSIMA PRINCIPE
SOPHIA FRIDERICA,
DUCATUS MEGALOPOLITANO - GUSTROVIENSIS HÆREDE.

PRO SUMMIS IN UTROQVE JURE HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS

PLACIDO JURISCONSULTORUM EXAMINI SUBMITTIT
JACOBUS EDVARDUS COLBJORNSEN,
IN REG. UNIV. HAVN. JURIIUM PROF. PUBL. DESIGNAT.
UNA DEFENDENTE

PRÆSTANTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
PAULO FRIDERICO SKIBSTED,
J. U. CANDIDATO.

IN AUDITORIO SUPERIORI DIE 29 OCTOB. 1774.

HAVNIAE.

TYPIB. AUGUSTI FRIDERICI STEINIL.

DISSECTATIONEM INAUGURALEM
DOMINIO MINUS PLENO

IN RIBNOS HABENT RUSTICI DANICI, QVI IN GOD. DAN.
PUB. III. CAP. XII. §. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

INTER
PUB. III. CAP. XII. §. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

CELISSIMI AQUE SERENISSIMI PRINCIPIS
FRIEDERICI.
DAN. NOB. VANDAL. GOTH. PRINCIPIS HEREDITARII.

CELISSIMA ET SERENISSIMA PRINCIPIS

SOPHIA FRIDERICA
DECATUS IN ALKOLY AND. DISTRICTUS IN HERED.

PRO SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS
RITE CAPTISSENDIS

PLACITO JURISCONSULTORUM EXAMINI SUBMITTIT
JACOBUS CAROLUS COZZOROVSKY.
IN REG. UNIV. HAVN. JUREM PROM. TOT. PANDACT.

UNA DELINDE
FRATERNITATE ET DOCTISSIMO
SAULO FRIDERICO KRISTED.

J. M. CANDIDATO.
IN MENTORI SUBMITTIT ANNO 1774.

HAVNIE
C. AUGUSTI FRIDERICI STEIN.

MAGNIFICO UNIVERSITATIS REGIÆ HAVN.

HOC ANNO

R E C T O R I

V I R O P E R I L L U S T R I,

A M P L I S S I M O A T Q U E C O N S U L T I S S I M O

P E T R O K O F O D
A N C H E R,

J. U. D.

S. R. M. A C O N S I L I I S C O N F E R E N T I A R U M,
S T A T U S E T J U S T I T I Æ,

I N E X E R C I T U N A V A L I Q V Æ S T O R I S U P R E M O,
I N S U M M O R E G N O R U M T R I B U N A L I N E C N O N C O N S I S T O R I O
A C A D E M I C O S E N A T O R I,

P R O F E S S O R I J U R I S P R I M A R I O I N R E G I A U N I V E S I T A T E
H A V N I E N S I,

F A C U L T A T I S J U R I D I C Æ D E C A N O P E R P E T U O,
R E G. S O C I E T A T U M S C I E N T I A R U M H A V N I E N S I S A T Q U E
N I D A R O S I E N S I S S O D A L I,

F A U T O R I Æ T E R N U M C O L E N D O
M E N T E M P I A M G R A T A M Q U E T E S T A T U R U S
H O C Q V A L E C U N Q V E C O N A M E N.

E A, Q V A P A R E S T, O B S E R V A N T I A

C O N S E C R A T

A U C T O R.

MAGNIFICO UNIVERSITATIS REGIAE HAVN.

HOC ANNO

HECTORI

VIRO VERILLUSTRI

AMPLISSIMO atque CONSULTISSIMO

PETRO KOFOD

ANCHER

IN

S. E. M. A. CONSILII CONFIDENTIARIUM

STATUS RE. JUSTITIAE

IN REGIOE NAVALI DE HAVNIA

IN SUMMO REGNOE DENICQUE IN REGNOE DENICQUE

ADHUC

EMISSIOE HUIUS TITULI IN REGIA UNIVERSITATE

HAERENTIS

REACTIVIS INDICIBUS DEBENDO

RE. SOCIETATE DE HAVNIA

MICHAELISSIS

PAULORI AETERNUM CORRINDO

MENTIENIAM GRATIAMQUE TESTATUR

HAEC QUAEVITIOE

HAEC QUAEVITIOE

CONSILII


A. L. C. O. E.



L. B. S.


Amplissimus in hac Alma Ordo Iureconsultorum non ita multum abhinc de nuptiis exoptatissimis REGIAE CELSITUDINIS SERENISSIMI PRINCEPSIS HEREDITARIJ propediem instantibus certior factus, suae quoque in Regnatricem Domum pietatis, & ex conjunctione, quam felicissimam fore auguramur, laetitia ullum non exstare documentum noluit.

Ut igitur pro conservatione atque incremento stirpis Augustae, & quae pender inde, incolumitate atque




*Felicitate Regnorum Supremo Numini solennes habendi
grates, & vota publice nuncupandi sibi quoque foret oc-
casio, pro ea, quæ ipsi facultas est, cum ceteris Am-
plissimis Reipublicæ literariæ Ordinibus festum hoc ce-
lebrare decrevit; Quem in finem summos mihi in utro-
que jure honores inter hæc solennia impetrandos beni-
gnissime obtulerunt Collegæ iidemque fautores maxime
suspiciendi.*

*Quo factò, ut ab una parte me non mediocriter
afficiebat & Ordinis Amplissimi benevolentia, & ingens
desiderium hoc potissimum tempore, quo non auspicius
aliud futurum esset, novos honores capeffendi, ita ab al-
tera me nec leviter premebat angustia temporis, quò ad
dissertationem, ut mos fert, legesque jubent, concinnan-
dam atque publice defendendam sufficere vix videbatur,
præsertim cum ab aliis negotiis non plenam mihi vaca-
tionem tantisper indulgere potuerim: Idem itaque
mihi obvenisse existimabam, quò tenui in re patrifami-
lias sub inopinato hospitis adventu, ut vel semeja at-
que*



que recocta opsonia apponenda convivæ sint, vel cum tenuitatis excusatione turpiter ipsi nuntius remittendus.


Malui quidem ego pauper quam sordidus videri, & virium potius quam obsequii defectu peccasse. In tanta autem festinatione, cum versare diu non liceret, quid valerent humeri, quid ferre recusarent, statim in mentem mihi venit de variis dominii minus pleni secundum Jus Danicum atque Norvegicum speciebus quædam scribere, sed producto jam ultra primas lineas opere animadverti, rem non potenter satis lectam fuisse, neque dissertationis unius pagellas hoc argumentum capere posse: Telam tamen jam currentem retexere, aliamque ordiri temporis non tulit oratio: Consultius igitur visum fuit stamina contrahere, atque in præsentiarum de illo tantum agere dominio minus pleno, quod habent in prædiis propriis rustici danici, Selveyer-Bonder vernacula dicti, quorum jura Codicis CHRISTIANEI Dan. Lib. 3^{tii} Caput 12^{mum} definivit. Ceteras autem dominii minus pleni pro habitu juris patrii species



*Species alia occasione adfit modo Deus, prosequi
instituiimus.*

*Hæc lectorem candidum præmonere volumus, opel-
læ nostræ ex celeritate non incuriosa, sed necessaria ve-
niam aliqualem conciliaturi.*

*Ceterum in pertractanda, quam elegimus materia
recte atque ordine fecisse nobis videmur, quod præmissis
ex Jure universali dominiij ejusque specierum notionibus,
ad hæc principia legum nostratium præcepta accomodave-
rimus, ita enim facile judicare lector poterit, an jura
singula suo modulo & pede mensi fuerimus.*





§. 1.

DOMINIUM definimus, quod sit complexus ^{Dominium} _{quid?} jurium de re quadam pro arbitrio statuendi, f. ut vulgo dici solet disponendi.

Cur ni cum Heineccio I. N. & G. L. 1. §. 231. hanc dominii dare notionem voluerimus, quod sit facultas alios usu rei alicujus excludendi, infra patebit, ubi demonstrabitur, neque domino semper jus esse alios usu rei excludendi, neque illum, qui jus habet alios a rei cujusdam usu arcendi, semper esse rei dominum.

Persona, quæ rei dominium habet, dicitur ^{Dominus} _{quis?}
DOMINUS.

A

§. 2.



§. 2.

Partes Do-
minii pot-
entiales
quænam?

JUS UTENDI est jus omnem ex re utilitatem
salua substantia sumendi.

JUS FRUENDI est jus fructus rei salua sub-
stantia percipiendi, & de iisdem pro arbitrio sta-
tuendi.

PROPRIETAS est jus de ipsa rei substantia sta-
tuendi.

Quoniam nulla alia ratione de re disponi potest,
quam vel quod ad usum, vel quod ad fructus, vel
quod ad substantiam, intelligitur **PARTES POT-
ENTIALES DOMINII** esse **PROPRIETATEM &
JUS UTENDI FRUENDIQUE**.

§. 3.

Ususfructus
& usufru-
ctuarii defi-
nitio.

Certa ratione de re disponit, qui jus, quod in
eandem sibi est, in aliam transfert personam. Qui-
libet igitur, cui integrum est de re pro arbitrio dis-
ponere, jura quoque sua, vel omnino, vel quod
ad partem, aliis concedere potest. Quæ cum ita
sint, intelligitur, dominum posse jus utendi re fru-
endique in aliam transferre personam, proprietate
ipsi sibi retenta, quod si factum fuerit, jus quod
translatum, dicitur **USUSFRUCTUS**, persona au-
tem, in quam usus fructus translatus fuit, **USU-
FRUCTUARIUM** nomen sortitur.

Etenim

Etenim in jure Romano quoties usufructus occurrit vocabulum, intelligitur jus utendi fruendi, quod a proprietate separatum est, conf. §. 1. *Inst. & L. 1. ff. de usufructu*: Ex quo autem interpretes jus utendi fruendi cum proprietate conjunctum usufructum quoque appellare coeperunt, hunc propter *L. 21. §. 3. ff. de except. rei judic.* USUMFRUCTUM dicere CAUSALEM, illum autem a proprietate separatum FORMALEM vocarunt, de qua distinctione conferri meretur *Hu-berus, ad §. 1. Inst. de usufr.*

§. 4.

Usufructum formalem, siue a proprietate separatum vel actus omnes utendi fruendique complecti posse, vel ad quosdam restringi, manifestum est, adeoque in PLENUM atque MINUS PLENUM recte distingui.

Usufructus distinctio in plenum & minus plenum.

§. 5.

Quoniam regulariter unusquisque jus, quod in rem habet, alteri cedere potest, usufructu, quem nunc formalem semper intelligimus, constituto, usufructuarius non modo fructus perceptos, verum etiam, nisi aliud cautum fuerit, ipsum usufructum alienare potest, hæredibusque relinquere. Ast quum usufructus quoque ad vitæ dis usufructuarii alimve terminum constitui possit, sequitur, hoc elapso, eundem oportere cum proprietate iterum conjungi, vel, ut JCI loquuntur, consolidari s. confundi §. 4. *Inst. de usufr. L. 1. ff. quemadmodum seruitutes amittantur.*

Usufructus ab usufructuario alienari & hæredibus relinqui potest.



Jure equidem Romano usufructus neque cedi potest §. 3. Inst. de usufr., cui non obstat *L. 12. §. 2. ff. h. t.*, neque in hæredes derivari, sed nisi ad certum tempus constitutus fuerit, morte usufructuarii semper expirat *l. c. Inst.* Sic jure etiam Danico colonus conductitius, qui usufructuarius est, neque usumfructum alienare potest, *Cod. Christ. Dan. Lib. 3. Cap. 13. Art. 1.* neque hæredibus eundem relinquit *Art. 4:* Sed hæc legibus positivis arbitrarie sancita sunt, ubi enim ad rationes juris uniuersalis rem expendimus, nil videtur ob stare, quo minus ita constitui possit usufructus, ut & aliis recte cedatur conf. *Wolff. Jur. Nat. P. 5. C. 6. §. 1481.*, & in eundem succedat hæres.

Neutiquam me mouet obiectio, quod, usufructu a proprietate in perpetuum separato, nihil in proprietate commo- di relinqueretur, nam, præterquam quod præstationes in re- cognitionem proprietatis reseruare sibi possit proprietarius, ex §. 2. patet, & in sequenti, nec non: 14 §. §.: demonstrabitur, alie- nato licet usufructu, proprietatis adhuc jura, quantum vis re- stricta, salva tamen manere, neque enim quæritur, an utiliter usufructus a proprietate separetur, sed an illæsa proprietate se- parari possit.

§. 6.

Res propria
quænam?
Res aliena
quænam?

Usufructus
est seruitus
personalis.

RES dicitur PROPRIA illius, qui proprietatem in eandem habet. ALIENA RES, in quam quis proprietatem non habet. Si igitur usus fructus a proprietate separatus fuerit, jus erit in re aliena: Jus autem in re aliena certæ competens personæ **SERVITUTIS PERSONALIS** nomine venire so- let. *L. 1. ff. de usufr.* Usufructus igitur formalis ad seruitutes personales pertinet: Neque jure ^{usufructu} usufructus seruitus personalis esse desinit, quia (§. 5.) in hæredes derivari potest, tunc enim hi, ut una cum defuncto persona spectantur.

§. 7.



§. 7.

Usufructuario, quamvis jus in re aliena habeat, (§. 6.) quoniam tamen de usu fructibusque rei pro arbitrio disponit, alios etiam usu rei excludendi jus esse oportet.

Usufructua-
rius aliosusu
rei exclu-
dere potest.

§. 8.

PROPRIETARIUS dicitur, qui rei proprietatem habet.

Proprieta-
rius quis?

Proprietarii igitur jus consistit in facultate de substantia rei disponendi, eandem immutando, immo perdendo, quo cum jure non potest non pon potestas esse conjuncta alios a dispositione de rei substantia prohibendi.

§. 9.

Dubitari quidem nequit, Proprietario regulariter ipsi rem esse jura sua alienandi, eademque hæredibus facultatis relinqui. Attamen ex §. 5. cum hac collata facile perspicitur, jus alienandi non recte dici characterem distinctivum proprietatis, quoniam usu fructuario etiam esse potest facultas jura, quæ ad ipsum spectant, transferendi.

Jus alienan-
di non est
character di-
stinctivus
proprietatis.

§. 10.

Proprietas est potior sive major domini pars.

Proprietas
est pars Do-
mini potior.



Quoniam proprietas ipsam rei substantiam afficit, eandemque immutatandi imo perdendi facultatem involvit (§. 5.), qua majus in re jus concipi nequit, satis intelligitur, proprietario plura in rem licere, quam usufructuario, adeoque proprietatem potiore esse dominii partem.

Equidem contingere potest, ut obstet jus usufructuarii, quo minus proprietario liceat ad libitum de rei substantia disponere: Jus autem de re disponendi proprietario non dici potest ademptum, quamvis exercitium ejusdem restrictum sit, vel quiescat.

§. II.

Proprietarius Dominus dicitur nonvero usufructuarius.

Quum a parte potiori denominationes fieri quotidianum sit, intelligitur, cur proprietarius, etiam post usumfructum a proprietate separatum, dominus adhuc audiatur, usufructuarius autem dominus dici non soleat.

Hinc multi dominium atque proprietatem pro synonymis habuerunt, ut Puffendorff. J. N. & G. L. 4. C. 4. §. 2.

Intelligi nunc potest, cur (§. 1.) dominium definire per jus alios usu rei excludendi noluerim, hoc enim jus etiam usufructuario esse oportet (§. 7.), qui, tamen dominus non dicitur.]

§. 12.

Dominium est vel plenum, v. minus plenum.

Quoniam actus ad proprietatem pertinentes varii sunt, colligitur, proprietatem in diversas etiam partes potentiales resolui posse. Dominus rei nemo



mo dicitur, nisi qui proprietatem habet (§. II.), cuicumque autem proprietatis est, vel pars ejusdem, is dominus vocandus est: DOMINIUM igitur in PLENUM & MINUS PLENUM distinguitur: Illud is habere dicitur, penes quem est integra proprietatis, hoc unicuique tribuitur, qui proprietatis aliquam tenet partem.

§. 13.


Divisa in partes potentiales proprietate, is qui una cum usufructu partem proprietatis habet, DOMINUS UTILIS dicitur, qui reliquam tenet proprietatem, DOMINUS DIRECTUS audit.

Dominus minus plenus vel utilis est vel directus.

Jus Romanum neque ullam dominii definitionem legalem suppeditat, neque distinctiones porrigit dominii in plenum & minus plenum, hujusque in utile & directum: Sunt autem hæc distinctiones in earum numero, quæ magisteriales dici solent, a DD. nempe haud sine utilitate inventæ, & ad jus Romanum applicatæ: Neque tamen defuere, qui easdem improbaverint, magni etiam nominis Juri, inter quos Cujacius, Huberus, alique, quos recenset *Beyerus in delin. jur. Germ. L. 2. P. 10. §. 11.*

In legibus vero Germanorum mediæ ævi dominium utile usufructus vocabulo significatur: Ita feudum usufructus vocatur 2 F. 23. *Beyer. Delin. jur. Germ. L. 2. C. 10. de usufructu gentium Germanicarum cum dominio utili plane conveniente. Engau: Elem. jur. Germ. L. 2. T. 4. §. 77. Heineccii Elem. jur. Germ. L. 2. T. 2. §. 33.*

§. 14.



§. 14.

Dominium
limitatum
& illimi-
tatum.

Dominium plenum est, licet exercitium ejusdem restrictum fuerit, dummodo jura proprietatis, a quibus exercendis dominus prohibetur, alter non habeat.

Dominium nempe minus plenum semper supponit, jura proprietatis esse divisa, (§. 13.) ubi igitur indivisa sunt, propriarius est dominus plenus, quamvis in exercitio jurium ad proprietatem pertinentium potestas ipsius sit circumscripta: Sic verbi gratia, si quis mihi rem quandam mortis causa reliquerit ea lege, ne alienem dominus plenus, mortuo donatore, futurus sum, licet exercitium juris alienandi, quod ceteroquin ad proprietatem pertinet, mihi non competat. Si vero ad rem alienandam alterius mihi opus sit consensu, dominium meum minus est plenum; hic enim, cujus demum suffragio rata mea futura sit alienatio, partem habet proprietatis. Distinctio igitur inter dominium limitatum atque illimitatum non confundenda est cum illa, quæ dominium plenum a minus pleno separat conf. *Engau elem. jur. Germ. L. 2. T. 2. §. 67.*

§. 15.

Dominium
commisibile
potest esse
plenum.

Dominus plenus etiam ille esse potest, cujus dominium est commissibile, sive ea lege constitutum, ut, existente certa conditione auferri, ipsi possit.

Quamvis enim Lex commissoria dominio constituto sit adjecta, non tamen idcirco pars proprietatis est penes aliam personam; Is enim, qui dominium commissum nactus est, dominus esse non incipit, antequam alter talis esse desierit: In jure quippe conditionato dies neque cedit, neque venit ante existentem conditionem *L. 5. §. 2. ff. quando dies leg. ced.* Hinc eleganter Seneca de *benef. VII. 12.* „Non est argumentum
„ ideo

„ ideo aliquid tuum non esse, quia vendere non potes, quia
 „ consumere, quia mutare in deterius aut melius, tuum et-
 „ iam est, quod sub certa lege tuum est.

§. 16.

Jus annuum redditum, aliamve præstationem a quovis possessore rei exigendi per se non spectat ad proprietatem, adeoque neque dominii utilis, neque dominii directi partem constituit, sed est servitus.


Jus redditus
 e re percipi-
 endi non est
 pars pro-
 prietatis sed
 servitus.

In jure percipiendi præstationes ejusmodi quum nihil concipiatur, quod substantiam rei afficiat, ad jura proprietatis referri non potest, certum igitur est, idem in re aliena existere posse, adeoque (§. 6.) ad servitutes pertinere. Equidem jure Romano servitutes in faciendo, sive præstando consistere nequeunt *L. 15. §. 1. ff. de servit.*, sed hoc neque juris universalis esse, neque omnibus legibus positivis placuisse DD. dudum observarunt cf. *G. Titius de servitutibus in faciendo consistentibus, Engau Elem. jur. Germ. L. 2. T. 9. §. 164. Et L. 2. T. 8. §. 140. Heinecc. Elem. jur. Germ. L. 2. T. 5. §. 137.*

Aliud est, si expresse cautum fuerit, eum in finem annuum canonem solvendum esse, v. a nouo possessore præstationem, quæ laudemium dici solet, ut eo ipso dominium directum alterius agnoscatur; Quum enim proprietas usufructu deducto, licet adhuc salva, sæpe tamen parum esset profutura, non absurdum est, proprietarium in signum juris, quod ipsi superest, præstationes ejusmodi in alienatione usufructus sibi reseruasse. Hinc est, quod jure Romano præstationes ab Emphyteuta, atque superficiario percipiendas ad dominium directum, adeoque ad jura proprietatis referre DD. soleant.

B

§. 17.



§. 17.

Jus protime-
feos non est
proprietas
pars.

Jus exclusivum rem, ubi eam alienare vult possessor, eo, quod alius offert, pretio acquirendi, quod jus προτιμήσεως vocari solet, quum facultatem de rei substantia disponendi haud involuat, non est pars proprietatis, neque igitur dominii utilis, neque dominii directi essentialis affectio, attamen cum alterutro, vel utroque accidentaliter conjungi potest.

Etenim jus protimefeos neque facultatem dat substantiam rei immutandi, neque jus hoc habentis consensu in alienanda re opus est, satis itaque intelligitur, hoc jus ad proprietatem per se non pertinere; Certum tamen est, illud jus pacto speciali modo dominum utilem, modo directum, modo utrumque sibi stipulari posse, eum in finem, ut divisum dominium aliquando coalescat.

§. 18.

Condomini-
um quid?

CONDOMINIUM, sive Communio positiva dicitur dominium indivisum pluribus in eandem rem competens.

Ubi plures igitur ejusdem rei condomini sunt, non singula singulis competunt jura, v. potentiales dominii partes; ideoque ad unumquemque dominii actum exercendum omnium requiritur consensus. Quoniam autem status ejusmodi non levibus premitur difficultatibus, ut his obviam eatur, si lege pacto cautum fuerit, ut indivisæ rei possessio in unum Condominorum transferatur satisfactorum ceteris annua præstatione, vel alia quacunque ratione, his tamen pro suis partibus integra manet proprietas; Nam quod ad condominorum partes, non suo, sed alieno nomine rem tenet possessor.

§. 19.



§. 19.

Partes proprietatis, quæ hinc dominium utile comitari, illinc domino directo superesse possint, infinitas concipere licet, & sic innumeras cogitare domini minus pleni species: Emphyteusin, Superficiem & Feudum ut maxime frequentes, & quarum binæ priores juris Romani sunt, tradere DD. solent. Alias tamen apud alias gentes obtinere certum est: Jure etiam Danico atque Norvegico varia constituta sunt minus plena dominia, quorum, quod in præsentiarum explicare institimus, rusticorum nimirum in Dania, quos *Selverer Bønder* vocat *Cod. Christ. Dan. L. 3. C. 12.*, si ad aliquam è prædictis speciem sit referendum, ad emphyteusin equidem quodammodo videtur accedere, propius autem ad species quasdam ususfructus Germanici (quo nomine apud hanc gentem dominium utile venire jam supra §. 13. monuimus) ita tamen, ut ab utroque jus hoc nostrashaud parum discrepet. Antequam vero juris hujus indolem investigare aggrediemur, generalia quædam de prædiorum ruralium in Dania habitu præmonenda videntur, quæ, licet nostratium vix quisquam ignoret, extraneo tamen, si cui forte hæ pagellæ in manus inciderent, ad intelligenda sequentia proniorem sternere viam possint.

Innumere
dari possunt
Dominii mi-
nus pleni spe-
cies, quarum
præcipue
recensentur.



§. 20.

Fundorum
ruralium
Dan. distin-
ctio in privi-
legiatos, &
non privile-
giatos.

Fundi rurales in Dania latissime distinguuntur in PRIVILEGIATOS & NON PRIVILEGIATOS: Illi dicuntur, quorum possessoribus commoda peculiaria vel juris communis beneficio, vel privilegiorum favore tributa sunt, hi, quorum possessionem nulla singularia jura sequuntur.

§. 21.


Fundorum
privilegiato-
rum species.

Privilegiis s. juribus singularibus ornata prædia vel FEUDA sunt, vel ALLODIA, vel FAMILIARUM FIDEICOMMISSA.

Feudorum jura continentur *Privilegiis*, quæ Comitibus atque Baronibus indulserit glorios. mem. Rex Chr. V. d. 25 Maji 1671. Juri autem feudali Dan. Norv. dignissimus contigit interpres *Perill. Sevel. in Dissert. inaug. de notitia juris feudal. Dano-Norv.*

De Fideicommissis familiarium, vernacula *Stambunse*, pauca, quæ jure nostrati obtinent singularia, tradit *Cod. Christ. Dan. L. 5. C. 2. a 65.* quocum fere congruit *Cod. Norv. eod. L. C. § a.*

Vocabulum Allodial-Gods in privilegiis Comitum atque Baronum passim obvium, ibi non tantum significat prædia, quæ feudo non annexa pleno dominii jure tenet Feudatarius, sed etiam quæ possidentur ab eo, cui nulla sunt bona Feudalia.




§. 22.

Allodia sunt vel Regis Domania, vel bona pri-
vatorum propria, hæc in jure nostro dicuntur
Sædegaarde (*). *Cod. Christ. Dan. L. 5. C. 3. Art.*
19. L. 5. C. 2. Art. 63, 64, 65, Conf. Recess.
Chr. III. Art. 39. Recess. Chr. IV. L. 2. C. 2. a. 4.
*§. 3., item Frit Jordegods (**)* *Cod. Christ. L. 5.*
C. 3. a. 3. Recess. Chr. III. art. 37. in ru-
bro Frit Gods in contextu Frelst Gods Recess. Chr.
IV. L. 2. C. 2. a. 3. Frie og frelst Jordegods.
In communi quoque sermone dicuntur Herregaar-
de, Herresæder, conf. *Arent Berents. Dannemarks og*
Norges frugtbare Herlighed P. 2. Cap. 1. p. 7.,
quia jure veteri solis nobilibus eadem possidere
liberum fuit (***) *Recess. C. III. art. 36. 37, 38.*
Capitul. F. II. a. 20. Recess. C. IV. L. 2. Cap. 2.
art. 3.

Allodia vel
Regis vel
privatorum.

*) *Quia nobiles olim Nostrates, haud secus ac aliarum*
Septentrionalis originis gentium, urbanam vitam exosi rure in
prædiis suis sive castris lares Et sedem habere consueverunt
conf. Bernsf. l. c. Beyer. Delin. jur. Germ. L. 1. C. 12.
§. 2. Engau Elem. jur. Germ. L. 1. T. 5. §. 95. it. T.
6. §. 152.

**) *Plerique credunt vocabulum Frit Jordegods prædiis No-*
bilium eam solum ob causam inditum fuisse, quod juxta Recess.
C. III. a. 49., qui in Cod. Chr. D. L. 5. C. 3. a. 3. mi-
gravit, absque oblatione veneunt, cui LL. ant. propter jus
protimeseos propinquorum omnes fundos rusticos indistincte obno-
xios fecerant Leg. Jut. L. 1. C. 34. Leg. Scan. L. 3. C. 7.
sed adhibetur quoque in Capit. F. II. a. 21. vocabulum Frit
Bondegods de prædiis plebejis, quæ tamen oblationi atque ju-
ri protimeseos tunc temporis ad unum omnia suberant, Et ho-



dienum, ceu pluribus infra docebitur, quod ad magnam partem subsunt. Mihi igitur prædia privilegiata nullam aliam ob causam libera dici videntur, quam quod immanitatibus variis sunt dotata; jura enim singularia atque privilegia Friebeder olim dicebantur & hodiernum dicuntur Capit. F. II. a. 40. Cod. D. L. 5. C. 3. a. 19. 20., neque ullam aliam rationem facile quis reddiderit, cur nobiles olim Frie Holf, ignobiles Ustie vocarentur Rec. C. III. a. 36. 37. 38. Capit. F. II. a. 19. 40. Recept. C. IV. L. 2. C. 2. conf. Holbergs Dannemarks og Norges Staat pag. 270.

**) Olim ne Regibus quidem prædia nobilium domini vel pignoris titulo acquirere licuit Capit. F. II. a. 20.

Jure hodierno nobilia quidem prædia s. Sædegaard acquirere atque possidere possunt plebeji, non tamen æquali cum nobilibus vel æque privilegiatis jure Cod. Dan. L. 5. C. 3. a. 19.; quænam vero Possessoribus nobilibus v. æque privilegiatis propria jura sint, & quænam cum plebejis communicata, hoc loco recensere ab instituti præsentis ratione alienum videtur.

§. 23.

Prædium
privilegiatum
constat
ex fundo
præcipuo &
fundis rusti-
cis.

Constat autem prædium privilegiatum s. en Sædegaard EX FUNDO PRÆCIPUO (Hovedgaarden) Cod. D. L. 5. C. 2. a. 19. 20.; quem ipse dominus immediate possidet, atque colit, & PRÆDIIS RUSTICIS sive conductitiis (Bøndergodset), quæ Colonis in usumfructum sunt elocanda Cod. D. L. 5. C. 10. a. 48. conf. Const. de d. 6 Jun. 1769.

§. 24.




§. 24.

Distinguantur PRÆDIA PRIVILEGIATA Prædia privilegiata sunt vel plena vel minus plena.
IN PLENA, vernacula: *complete Sædegaarde*, quorum fundi rustici præter prædium præcipuum, a quo tamen haud ultra 2 milliaria distitos eodem esse oportet, censum efficiunt, qui per ducentos frumenti medimnos: (200 Tønder Hartforn) definitur, vel MINUS PLENA (*incomplete Sædegaarde*), quorum census minor est.

Hartforn proprie frumentum significat solidum i. e. bonum: Medimnus autem frumenti (Tønde Hartforn) nihil aliud est, quam mensura ficta, juxta quam in Dania non tantum agri, sed & emolumenta quævis e prædiis ruralibus percipienda in matricula æstimantur, tributaque & alia onera iisdem imponuntur. In Norvegia hodie hic census non obtinet: In cadastris autem antiquioribus quorundam locorum sub nomine *Stritforn* occurrit Normanni vero *Census* & Hartforn antiquitus hanc fuisse auctor est Berntsenius, quod in agris frugiferis ad 3^{ti}am frumenti sativi partem definiretur; ita ut verb. gr. ager, qui 30 medimnis frumenti in singulos annos confereretur, in 10 medimnorum censum veniret; cetera autem emolumenta, ut sylvarum, molendinorum &c, æstimato horum ad agros pretio, eodem hoc modulo censâ fuisse.

Prædia nobilium atque plebejorum olim nullo juris discrimine distincta fuisse videntur, nisi quod ex illis ad superias bellicas non eroganda essent tributa *Leding* & *Stud*, quæ e fundis plebejorum pendi debebant (*). Hæc autem nobilibus data erat immunitas, propterea quod cum vitæ atque facultatum periculo in defensionem patriæ militiam sequi tenebantur *L. Jut. Lib. 3. C. 18. Rec. C. III, a. 2.*, hinc etiam



am nobilis, qui, eandem subterfugeret, juribus suis cadebat atque *Zinnæ-Bonde* (*) (plebejus) evadebat, *L. Jut. L. 3. C. 7.*


Originem autem amplitudinis, in quam postea protensa fuere nobilium prædia, juriumque, quæ cum horum possessione connexa fuere, singularium, Holbergius (*Danremærks og Norges geistlige og verdslige Staat p. 271.*) non sine ratione suspicatur derivandam esse ex antiqua partitione regni in certos tractus (*Etyreshafne*) nobilibus in feudum dari solitos, quorum è reditibus, quos perciperent, Feudatarii, definitus numerus navium una cum nautis militibusque armatis præbendus esset. Hæc feuda, quæ *L. Jut. L. 2. C. 20.* in masculos legitimos hæreditaria fuere, tractu temporis in foeminas quoque transiisse, & pleno demum, ceu allodia, jure possessos fuisse testatur Huitfeldius in vita *Canuti VI.* Idem quoque auctor plura de his *Etyreshafne* commemorat in dedicatione quintæ historiarum parti præmissa, nec non in præfatione ad *Jus aulicum Norvegicum (Hirdskraae)*. *conf. quoque Perrill. Sevel diff. de J. feud. Dan. Nor. §. 16.*

Ceterum prædiis privilegiatis nulla certa præfinita fuit in censu quantitas ante *Const. 28 Januar. & 16 Dec. 1682*, quibus primum prædia privilegiata plena s. justici census a minus plenius distingui coeperunt, quæ *Const. in Cod. Chr. Dan. L. 5. C. 3. a. 21.* migrarunt.

(*) *Excipiebantur soli sacerdotes, queis propter ministerium religiosum fundum unicum sive proprium, sive ecclesiasticum à tributis exemptum possidere indulgebatur L. Jut. L. 3. C. 10.*

Rusticos quoque plebejos infini census non bellica tributa erogasse, sed mensæ regie præstationes debuisse docet L. Jut. L. 3. C. 13.

(**) *Zinnæ significat omnes præstationes è prædiis plebejis sive Regi sive Proprietariis pendendas L. Scan. L. 17. C. 2.*



§. 25.

Prædia non privilegiata s. plebeja in domi-
nio possessoris constituta dicuntur *Selveyer-gaarde* Varia fun-
dorum ple-
bejorum
nuncupatio-
nes.
*Progr. d. 1 Jun. 1720, const. 7 Maji 1723 & 13
Maji 1769. Jordegne-Gaarde. Const. 7 Maji 1723,*
*Bondegaard, Cod. Dan. L. 3. C. 12. a. 1. L. 5.
C. 3. a. 19. Jure veteri srit Bondegods Capit. F.
II. a. 21. simpliciter Bondegods C. III. Rec. art.
40. in rubro; Hæc autem prædia jure proprio
possidentes vocantur *Selveyer-Bonder* C. D. L. 3.
Cap. 12. in rubr. & passim. L. 5. C. 3. a. 1.,
*Selveyere, Pror. 10 Dec. 1758, Eyendoms-Bon-
der Const. 7 Maji 1723 & 13 Maji 1769, Jordeg-
ne-Bonder, const. 7 Maji 1723. In LL. ant. Eye-
re, Leg. Jut. L. 1. C. 52. Eyermænd, L. 1. C.
56. Adelsbønder, L. 1. C. 51, 103. Jordegende,
L. Sial. Erics L. 2. C. 28. in Paraphr. Andr. Su-
nonis Leg. Scan. L. 4. C. 8. Hotolbønder (*).**

Alias communi cum quolibet patre familias vocabulo *Bonde*
quam frequentissime veniunt fundorum domini, sive no-
biles sive plebeji *Leg. Jut. L. 1. C. 34. L. 3. C. 12.
Leg. Scan. L. 17. C. 7. & passim alibi. In Recess. C. III.
a. 40.* vocabulum *Selveyer-Bonde* primum occurrit. Ma-
jores nostri vocem *Bonde*, deficiente propter sensum mul-
tiplicem vocabulo Latino satis apto, *Bondonem* verterunt.
Recentiores autem Juti nostrates rusticos, qui fundos propri-
os possident, sive τὸς *Selveyer-Bonder* colonos prædiatos vo-
care jam diu consueverunt, quo igitur termino ut, recepto,
in sequentibus nobis quoque uti liceat.

(*) *An vocabulum Hotolbonde rusticos ingenere fundos ha-
bentes proprios, an vero certam eorum speciem denotet, haud
C satis*



satis liquet: Mihi quidem probabile videtur, *Settsbonde* in *Scania* eundem fuisse, ac in *Futia Adelbonde*, vocabulo per diale-
ctum provincialem parum inflexo. *Adelbonde* autem in *Leg. Fut. L. 2. C. 51.* dicitur fundi proprii possessor, contradi-
stinguitur enim *ṽ Vandboe* s. *Colono conductio*, itemque *ṽ Brydie d. q. i.* In legibus nimirum antiquis vocabulum *Adel*
non de Nobilibus proprie talibus, adhibetur; Hi enim vocan-
tur *Herremend* *Leg. Fut. L. 3. C. II. L. 3. C. 14, 15.*
item *Kongens-Mend*, *Biskops-Mend*, *Leg. Fut. L. 2. C. 77.*, pro uti vel a Rege vel ab Episcopo in ordinem nobilium
adsciti fuerant; Regem quippe per totum regnum, Duces atque
Comites in suis territoriis, Episcopos etiam in singulis diocesi-
bus, viros sibi eligere, i. e. jura nobilitatis, qualia tunc tempo-
ris erant, conferre potuisse constat ex *L. Fut. L. 3. C. 8.*

§. 26.

Colonorum
prædiate-
rum s. domi-
nium minus
plenum ha-
bentium plu-
res sunt
species.

Prædia plebejis propria jure Danico vel in
dominio pleno, vel minus pleno possessoris consti-
tuta sunt, nuncupatio autem *Selveyer-Bønder*, & re-
liquæ in § superiori commemoratæ, tam plenæ quam
minus plenæ proprietatis possessoribus communes
sunt. Coloni vero prædiati (hoc enim vocabulo *ṽ*
Selveyer-Bønder jam significamus) minus plenum fun-
dorum dominium habentes alii sunt, quorum
statum *Cod. Dan. L. 3. C. 12.* definitum nunc no-
strum est interpretari, alii recentioris originis, quo-
rum jura *edicto 13 Maji 1769.* constituta in al-
tera hujus *diatris* parte explicare meditamur.

Colonos prædiatos dominio pleno, imo fere illimitato gau-
dentes passim in *Daniæ* provinciis reperiri notorium est; Exstat
quoque lex permissiva prædiorum plebejorum cum plena pro-
prietate acquisitionem unicuique licitam pronuncians *Cod. Dan.*
L.




L. 5. C. 3. a. 19.: Idem etiam haud obscure colligitur ex *L. 5. C. 3. a. 27.*, quæ lex edicit, colono prædiato liberum esse jura territorialia (*Hertighed*) in fundum acquirere, quæ jura partem quoque proprietatis, qua caret alias colonus prædiatus, inuoluere infra doccimus.

Olim prædia plebeja omnia in dominio pleno constituta fuisse videntur; Neque enim in LL. antiquis ulla diuisæ in prædiis rusticis proprietatis vestigia apparent.

Historia con-
stituti domi-
nii minus
pleni in fun-
dis rustico-
rum.

Equidem peculiaris existit colonorum species *Brythiar* s. *Brythiar* nuncupatorum, de quibus ex instituto agitur in *L. Scan. Lib. 15.* porro in *L. Jul. 2. C. 1, 31, 51, 57, 71, Leg. Siall. Er. Mendv. Libr. 5. C. 13.* & passim alibi. Interpretes LL. Scan. atque Juticæ, Archiepiscopus Andreas Sunonis & Episcopus Canutus, *Brythie* villicum venterunt: *Osterfenius* in glossario modo villicum & servum, modo colonum conductitium atque partiarium vocat. In tanta legum veterum obscuritate atque interpretum incertitudine & varietate lucem huic juris argumento accendit Perillustris Facultatis nostræ Decanus P. Kofod Ancher, (*Subhistorie* p. 514, 521.) Docet nempe vir summus non unicum fuisse horum *Brythiar* conditionem, alios quippe fundos alienos, quodammodo tamen in rem suam coluisse, alios, quos *Felligs Brythiar* vocat *L. Jut. L. 2. C. 1, 67*, in aliquali cum domino fundi communione vixisse, quæ quousque progredere, pacto definiri oportuerit; Ceterum eandem quoque circa ipsius fundi proprietatem versari potuisse intelligere mihi videor ex *Leg. Jut. L. 2. C. 1.*, ubi præcipitur, veridicos (*Sandemand*) proprietatem fundi habere oportere, & saltem esse *Felligs Brythiar*, minime vero *Lands* hoc i. colonos conductios: *Huer theræ scal hava Wagn i then fiardingh, ther han ær Sannemann, ath myusta felligs Brythiar ec ay Lando*: Manifestum est in hoc loco *785 Brythiar*




inter fundorum proprietarios referri, quod fieri minime poterat, nisi revera ad communionem proprietatis fundorum, quos colebant, essent vocati. Quod ad illos attinet, qui proprietatis exsortes erant, eorum conditionem haud multum abhorruisse suspicor a statu colonorum, in Norvegia hodiernum *Lodsbrugere* nuncupatorum, quibus fundus, plerumque instructus, ea lege colendus ad certum tempus conceditur, ut pensionis loco dimidia fructuum pars domino praestetur, quam locandi conducendi rationem, silvis utpote damnosam, prohibuit. *Const. 24 Mart. 1746*: Qui equidem coloni, nec non ex antiquis *Benthiar* hi, qui cum illis paribus usi fuisse juribus videntur, commode satis dici possunt coloni partiarii: Talis enim fere eorum fuit conditio, quae nomen hoc indidit *Jus Rom. L. 25. §. 6. ff. locat. cond.* Quamvis autem inter hos *Benthiar*, quosdam proprietatis in fundo consortes fuisse appareat, domini tamen minus pleni non sunt dicendi; in communiōne quippe positiva constituti proprietatis partem pro indiviso habuerunt; ad minus plenum autem dominium efficiendum eandem in partes potentiales divisam esse oportet (§. 12).

Ad historiam vero constituti in praediis rusticis domini minus pleni quod attinet, neque ex L. L. antiquarum, neque annalium monumentis liquido satis constat, quo tempore, quoque modo dominia rusticorum antea plenissima minuta fuerint atque diuisa. Quae vero hac de re eruere, quaeque conjectando assequi potuerim, in medium proferam.

Berntsenius in scripti laudati L. 2. P. 2. C. 5. p. 409. ut *πατροπαράδοτον* tradit, omnes fundos plebejos in domino pleno fuisse ante bellum civile, quod *Skipper Cleminds Fynde* vulgo dicebatur, nomine a Clemente quodam quaesito, qui sub Rege Christiano II do maritima stipendia fecerat, post-

ea vero auspiciis Christophori Oldenburgici, (folio jam deturbatum atque captivum hunc regem Lubecensium suppeditis restituere conantis) plebem urbanam atque rusticam ad seditionem adversus Regem Christianum IIIum, nobilesque, qui illum elegerant, concitavit, cujus audaciæ pœnas capite luit.

Teste Huitfeldio incidit in annum 1534 luctuosum hoc bellum, cujus eventus fuit, quod Rustici Juræ victi se omniaque sua victoris arbitrio permittere cogerentur, super qua deditione instrumentum confectum exstat in annal. Huitfeldii, qui quoque scriptor tradit, multos rusticorum prædia sua, quæ commiserant, postea soluto pretio redemisse. Jam equidem in ceteris provinciis, quarum incolæ, municipes pariter & rustici in eadem culpa fuerant, non duris adeo legibus veniam datam fuisse legimus. Attamen ex Recess. Colldingensi, quem Christ. IIIus 1558 promulgavit constat, omnium rusticorum in fundos dominium non modo jam restrictum fuisse, sed etiam divisum, parte proprietatis ablata, Regique ceu domino directo, tributa. Hæc enim sunt verba art. 40mi recessus hujus: *Eleer det oesaa, at den der Gaarden besidder, forbygger eller forbygge lader samme Gaards Skowe til Upliet eller oc forkommer noget af Eyendommen, som dertil liggende er, og icke holder Gaarden ved Maet, da skal Lensmanden have Maet, med Samfrænder at sætte der en anden paa igjen af Metarffvingerne, som vil oc kan frede Skowen, oc kan holde Gaarden oc Eyendommen ved Maet, oc rede der sult aff til Kronen, oc hans Metarffvinge syldiste, som hannem ber at giøre, som forserffuit staaer.* Hæc equidem potestas in rusticos immediate tribuitur præfecto regio (Lensmanden) hic autem, quum non proprio nomine, sed auctoritate regis, cujus erat procurator, jura ad officium spectantia exerceret, dubitari non potest, quin ad regalia, sive jura Regis ipsius, potestas in colonos prædiatos pertinuerit.



Neque parum hoc facere videtur ad stabiliendam *ὀπό-
θεσιν*, secundum quam dominium directum in fundos colo-
norum prædiatorum tempore, quo promulgatus fuit Chri-
stiani III. Recessus, penes solum Regem fuerit, quod ex
verbis, quæ recensuimus, art. 40mi, intelligi possit, nemini
tunc temporis, præter Regem atque cohæredes coloni prædi-
ati, pendendas fuisse e fundo præstationes, quarum perceptionem re-
gulariter cum dominio ejusdem directo conjungi, infra docebimus.

Quum igitur certum sit, ante latum a Christiano III.
recessum, nullam, quod scimus, saltem scriptam extitisse
legem dominium rusticorum in fundis suis minuentem, pro-
babile autem quam maxime videatur, dominium horum fundo-
rum directum solum Regem fuisse, haud absque ratione mihi
conjectare posse videor, rusticos, quo melius in officio conti-
nerentur, neque studere novis rebus facile possent, ita Regi
factos fuisse obnoxios, ut ad placitum de fundis suis statuere
non amplius ipsis liberum esset, possessionem vero amittere
admodum foret proclive. Data quoque procuratori Regis fa-
cultate inter cohæredes eligendi, cui deferenda esset com-
missi fundi possessio, subtili admodum *πολιτικῆ* videtur effe-
ctum, ut & inter cognatos de possessione similitates foveren-
tur, & horum singulis ad fundi possessionem aspirantibus
favor præfecti regii ambiendus esset, adeoque, ut in tantis ori-
undis inde familiarum discordiis, animorum ad seditiones mo-
liendas conspirationes vix ac ne vix Regi Proceribusque es-
sent pertimiscendæ.

Jam vero dominium directum juraque territorialia in
fundos colonorum prædiatorum privatos passim acquisivisse,
quod ad factum, notorium est, & quod ad jus atinet, intel-
ligi potest ex Cod. Christ. Dan. L. 3. C. 12. a 2. quo lau-
datus Christ. IIIii Recessus art. 40. migravit, eo cum discrimine,
quod, quæ recessus de procuratore Regis prædicat,
Cod. Chr. in genere domino territoriali, *Hertigheds Ewren*
tribuit, quibus verbis clare satis indicatur, non amplius penes
Regem solum jura territorialia fuisse: Neque minus idem constare

stare potest ex Cod. Christ. L. 5. C. 3. a 27, ubi colono prædiato permittitur dominium directum juraque territorialia in fundum suum acquirere eodem pretio, quo in dominum territorialem à Rege translata fuerunt; *Enhver Selveyer-Bonde maae sig tilkiøbe sin Gaards Herlighed af den, som den nyder, for det samme Værd, som han Kongen derfor givet haver*: quæ quoque ultima verba opinionem nostram, quod dominium directum initio regale fuerit, novo fulcimine corroborat. Imo etiam, ante constitutum in monarchia Danica absolute imperium, privati juris jam factum fuisse dominium directum in prædia rustica quam plurima auctor est laudatus toties Bernisenus.

Hæc autem sponte se offert quæstio, quæ ratione dominium directum in prædia rustica ad priuatos transire potuerit? Præsertim quum ipsam prædiorum plebejorum possessionem, s. prædiati coloni jura non magis nobilibus acquirere olim licuerit, quam plebejis nobilia prædia possidere Capitulat. Frid. II. a 21: Cujus quidem legis in promptu est ratio; Nobiles enim, qui e fundis possessis nulla pendere tributa debuerunt, si plebejorum prædiorum omnium possessionem sensim nacti fuissent, non superfuturus denique fundus fuisset, unde tributa in publica commoda erogarentur.

Ad propositam quæstionem, quid ut mea fert opinio, responderi possit, paucis expediam. Præstationes, quas e fundis colonorum prædiorum percipiebant Præfecti Regii, una cum potestate quam in eosdem habebant, existimata fuisse videntur jura realia castris siue fundis domanialibus, quos titulo siue administrationis s. ammediationis Præfecti tenebant, accessoria; jam vero, quamvis ante mutatam regiminis formam raro, nec nisi in rebus trepidis, contingerent alienationes prædiorum domanialium emtionis, venditionis titulo, tanto magis frequentabantur permutationes eorundem cum prædiis nobilium, quæ cum celebrarentur, fieri non potuit, quin dominia directa in fundos colonorum prædiorum novis prædiorum domanialium possessoribus acquirerentur.

Hæc



Hæc nobis conjectura tanto magis arridet, quum præfenti etiam seculo sæpius contigerit, per alienationem domanialium prædiorum dominium directum cum juribus territorialibus in fundos colonorum prædiatorum priuati juris factum fuisse: Ita *Const. de 1 Jun. 1720 & 20 Maji 1723* (quas laudandi sæpius in sequentibus occasio nobis fiet) eam ob causam latæ fuerunt, quod postquam gloriosiss. memoriæ rex Fridericus IV domaniorum bonam partem alienauerat una cum annexo iisdem dominio directo juribusque territorialibus in fundos colonorum prædiatorum, novi prædiorum domanialium possessores colonos prædiatos sibi subiectos durius tractare cœperint, quam ob rem è re visum fuit hisce sanctionibus dominorum territorialium jura accuratius definire, & aduersus vexationes eorundem colonis prædiatis perfugium aperire.

Holbergii
Opinio de
Origine hujus
dominii
minus pleni
refellitur.

Diversa est equidem Holbergiana hypothesis de origine constituti in fundis colonorum prædiatorum domini minus pleni (*Dannemarks og Norges geistlige og verdslige Staat p. 294 sequ. & Dannemarks Riges Historie Tom. 2. p. 308.* Putat nempe vir summus, Bernsenium ceteroquin secutus, statim post finitum civile bellum prædiatos colonos parte proprietatis multatos, proximo prædio nobili mox immediate subiectos fuisse, ita ut singuli prædiorum nobilium possessores in fundos colonorum prædiatorum vicinos domini directi fuerint constituti; Huic vero opinioni, quum aduersari videatur C. III. Recess. a 40, pluraque, quæ laudavi legum capita, dominium hoc directum ab initio inter regalia fuisse haud obscure tradentia, a sententia auctoris, quem debita ceteroquin veneratione prosequor, discessum facere ausus sum; fuerimne autem ego in hoc argumento explicando felicior, videant alii.

At licet à temporibus inde Christ. III colonis prædiatis non nisi minus plenum fundorum propriorum dominium relictum fuisse videatur, omnium tamen non idem ceteroquin fuit status: Alii quippe, quales præsertim in Jutia, nullas prorsus domino directo præstationes debebant, alii, in Scania-


cum.



cumprimis atque Hollandia, vix minores, quam coloni conductitii erogabant: Quam ob rem, ceu testatur Berntsenius, *L. 3. P. 2. C. 5. p. 409.* in permutatione fundorum domanialium cum prædiis nobilium, dominium directum cum juribus territorialibus in fundos colonorum prædiatorum domaniis obnoxiorum interdum æqualis cum fundis conductitiis pretii, interdum minoris, interdum nullius prorsus æstimatum fuit.

De ratione hujus inæqualitatis, quæ in singulis prædiis esse potuit varia, nihil in genere affirmare possum; Neque enim conjectare ausim, rusticis Jutiæ majora relicta fuisse jura, propterea quod post factam deditioem prædia sua soluto pretio redemerint. Quicquid autem sit, hoc hodiernum superest, quod, ceu pluribus infra commonstrabitur, non ubivis eadem pro modo census coloni prædiati onera ferant.

Ceterum, quæ de origine constituti domini minus pleni in fundis colonorum prædiatorum ex mea quidem sententia dixi, nequaquam ita intelligenda sunt, quasi crederem omnes quotquot nunc sunt colonorum prædiatorum fundos in pleno possessorum dominio antea fuisse; Neque enim ignoro multos colonos è conductitiis prædiatos factos fuisse, atque fundorum suorum proprietatem s. plenam s. minus plenam emptione aliave titulo acquisivisse; huc pertinent non solum omnes illi, quorum jura const. 13 *Maji* 1769. definita hoc loco interpretari non est animus, sed etiam multi quorum status ex *Cod. D. L. 3. C. 12.* æstimandus est. Attamen ante matriculam Ao. 1664 adornatam rarius contigisse crediderim, quod coloni conductitii fundi proprietatem titulo emptionis acquisiverint, quoniam coloni prædiati duplum tributorum ratione census pendere debebant præ conductitiis; viz igitur conductitiorum quis proprietatem adeo onerosam justo pretio a domino emere potuisse probabile videtur.



§. 27.

Ordinis in
sequentibus
ratio.

Postquam in medium protulimus, quæ ad historiam præsentis argumenti potuerimus eruere, progredimur nunc ad jura colonorum prædiatorum, qualia nunc sunt, definienda: Qua in re talem servare lubet ordinem, ut primum singula jura ipsissimis, quantum fieri potest, verbis legatibus, quasi per indicem, tradamus, deinceps notiones generalissimas, quas inde abstrahendo sistere nobis potuerimus, in definitionem includamus, ex qua denique confectariorum instar theses eliciamus, in quibus quælibet ad principia ab initio stabilita revocabimus.

§. 28.

Fontes legales
hujus argu-
menti.

Fontes legales hujus materiæ sunt præter *Cod. Chr. Dan. L. 3. C. 12.*, quod tralatitium est, a laudato quippe *Recess. Chr. III. art. 40.* cum aliqua mutatione derivatum, ejusdem Codicis *L. 5. C. 3. art. 1, 2, 24, 25, 27.* quorum primus haustus est è *Leg. Fut. L. 1. C. 34.* ceteri, quantum ego quidem scio, novi sunt.

§. 29.

Colonus
præditus
habet domi-
nium utile
fundî, do-

Dominium minus plenum vel utile est, v. directum (§. 13.) Quod etiam in Dominio minus pleno Colonorum prædiatorum non potest non obtinere: Dominium nempe utile penes ipsum

psum est Colonus prædiatus, dominium vero directum cum juribus territorialibus conjunctum uno vocabulo *Herlighed* vocatur, & qui his gaudet juribus *Herligheds Eyer*. A juribus autem ipsius coloni prædiati enarrandis initium facere lubet.

minus vero territorialis dominium directum.

Vocabulum *Herlighed* in sensu maxime generali significat omnia Commoda, quæ e prædiis rusticis proveniunt, conf. *Berntsen L. 2 C. 2, L. 1. pag. 78*; Hoc autem loco denotat complexum jurium, quæ in fundo Coloni prædiati obtinent præter ea, quæ cum possessione fundi necessario connexa sunt, quæque ipse Colonus prædiatus habet: Distinguitur hic *Herlighed*, quem **JUS TERRITORIALE** vocare lubet, in **PRIVILEGIATUM**, quod exercere modo potest fundi privilegiati possessor nobilis v. æque privilegiatus, & **NON PRIVILEGIATUM**, quod a quolibet exerceri potest, dominiumque directum fundi sub se complectitur. Hanc igitur posteriorem solum *Herlighed* speciem ad nostrum argumentum pertinere intelligi facile potest.

§. 30.

Colono prædiato jura, quæ sequuntur in fundum, tribuunt LL. allegatæ: Jura coloni prædiati.

Imo. Jus utendi fruendi fundo cum omnibus accessionibus *C. D. L. 3. Cap. 13. art. 1. Selveyer-Bonde skal bruge alle Gaardens Eye baade i Skov og Mark.*

Hinc jus quoque sues in silvas agnandi absque pretio pro glande præstando, quod *Olden-Gjæld* dicitur, eundem habere oportet, *Const. de die 1 Jun. 1720. & 7 Maji 1723.*



Jus tamen ejus ipsam silvam cædendi restrictum est. Ex art. 2. L. & C. alleg. jam constar haud prorsus liberam esse colono prædiato cædendi facultatem, quoniam propter juris hujus abusum, om han forbugger Gaardens Skove til Upligt, fundi possessione in poenam privandus est; Non tamen definitur, quousque ipsi pateat jus lignandi, id quod demum factum fuit ordinat. forestali 30 Jan. 1733. art. 34., juxta quam colono prædiato ad usus quidem necessarios, minime autem venditionis gratia arbores cædere fas est: Ad terram quoque fossilem cremialem, (Torveffier) idem præceptum produxit programma de 20 Dec. 1758:

Jus piscandi in aquis ad fundum pertinentibus colonum prædiatum habere dubitari nequit, quoniam *Cod. Dan. L. 3. Cap. 13. art. 20.* jus piscandi colonis modo conductitiis ademit. Jus autem venandi ne minimum quidem colonum prædiatum, qui minus plenus Dominus est, exercere posse ex *Const. 18 Apr. 1732. art. 18.* discimus.

2do. Jus habet colonus prædiatus de ædibus ad fundum pertinentibus pro lubitu disponendi.


Nimirum *Cod. Dan. L. 5. Cap. 2. art. 66.* præcipit in judicio familiaræ heriscundæ ædes ad fundum Coloni prædiati pertinentes possessorem fundi sequi, neque Cohæredibus quicquam eo nomine esse retribnendum. Certum igitur est, quamvis, ceu posthac docebitur, ipse fundus in condominium cohæredum constitui possit, ædes tamen jure exclusivo ad illum pertinere, in quem fundi transfertur possessio. Neque enim dominum directum partem proprietatis ædium habere colligitur ex art. 3., qui modo propter deteriorationem fundi, non vero ædium, possessionis amissionem colono minatur; Phrasin enim: *At holde Gaarden ved Magt*, non etiam ad ædificia pertinere patet ex *L. 3. Cap. 13. art. 1.*, ubi colono conductitio injungitur: *At holde Gaarden ved Hævd og Bygning*; Heic nempe diserte distinguitur conservatio fundi a con-



servatione ædium; Colonus vero prædiatus nullibi jubetur, ædificia facta recta servare.

3tio. Colonus prædiatus jus habet fundi faciem in melius, non vero in deterius immutandi, eodem vero ceu bonus Paterfamilias uti debet. Si igitur fundum deteriorem reddiderit, sive silvam ultra, quam fas est, cædendo, sive alio quocunque modo; Domino directo s. territoriali (*Herligheds-Eyeren*) jus est colono prædiato fundi possessionem auferendi, eandemque cum propinquorum consensu transferendi in alium e cohæredibus coloni, si quis eorum sit, qui velit, & possit fundo recte uti, atque præstationes ex eodem pendendas rite solvere. Si vero post factam ternis juridicis proclamationem nemo eorundem, qui idoneus existimari possit, fundi possessionem petierit, Dominus directus facta æstimatione plus offerenti fundum vendere potest, ita tamen, ut ipse jus habeat protimeseos ad possessionem ejusdem cum juribus eidem adnexis acquirendam art. 2. Quinam autem illi sint e propinquis coloni prædiati, quorum consensum ad possessionem transferendam accedere oportet, docebitur, ubi de jure fundum alienandi, quod habet colonus prædiatus dicturi sumus.

Quæri autem potest, an Domino territoriali jus sit Cohæredibus, quemcunque velit, ad possessionem vocandi, an vero proximitatis habenda sit ratio? Mea quidem ex sententia proximiorum, qui se ad possessionem acquirendam obtulerit, præterire non fas est, modo sit ad fundum recte utendum idoneus. Ratio enim cur domino territoriali jus datum sit, de possessione transferenda statuendi, nulla alia fingi potest,



rest, quam ut sibi prospiciat de præstationibus, quas ipsi è fundo deberi posthac apparebit. Ubi igitur de eo, quod illius interest, ipsi cautum fuerit, contra omnem æquitatem, immo absque ulla ratione sufficiente, illi tribueretur potestas, excluso proximiori hærede idoneo, inter ceteros ad gratiam vel odium eligendi, quem fundi possessione beare vellet. Quis autem inter cohæredes proximor habendus videatur, mox disputabimus, ubi in eo futuri sumus, ut de jure in fundum succedendi differamus,

Quod attinet ad consensum propinquorum, quem ad possessionem transferendam accedere oportet, hunc in eo tantummodo consistere credo, ut habeant jus, quantum ipsorum interest, contradicendi, si fundum in possessorem parum idoneum transferre dominus territorialis velit; Etenim in a. 2. dominus territorialis ut persona principalis nominatur, penes quam sit possessionem transferendi facultas; propinqui autem tantum ut minus principales personæ: Den, som Herligheden haver, skal have Magt med Samstrænder at sette en anden af Medaryingerne derpaa. Porro solius Domini territorialis, neque propinquorum, auctoritate peragi fundi venditionem ipsa legitima verba ej. art. loquuntur: Den, der Herligheden haver, maa lade Gaarden loxligen taxere, og selge den til den mest bydender.

Ceterum propinquos omnes jure protimiseos etiam in hoc casu, immo præ domino territoriali gaudere nullus dubito. Hoc enim jus, ceu postea, docebitur, iisdem expressa lege indulgetur, ubi ipse colonus alienare fundum cupit; eademque ratio, qua in eo casu jus illorum protimiseos niti apparebit, non potest non in quacunque fundi alienatione obtinere.

4to. Coloni prædiati fundus titulo successionis ab intestato ad hæredes ipsius transit, ita tamen, ut, si plures sint Cohæredes, uni tantum eorum

eorundem indiuisa fundi possessio deferatur, ceteris autem, si alia ratione illis è bonis defuncti satisfieri nequeat, suæ quoque hæreditariæ sortes in fundo assignari possunt, pro quibus tamen annuum modo percipiunt censum, Domini territorialis atque propinquorum arbitrio definiendum art. I.

Quæritur vero jam heic, cuinam inter plures cohæredes deferenda sit possessio? Equidem ordinem successionis in possessionem indiuiduam fundi à Colono prædiato relictæ Lex non definit, at tamen propter rationes supra ad sectionem hujus § 3iam adductas, minime affirmari potest, arbitrio Domini territorialis absolute permissam esse potestatem, quemnam cohæredum velit, fundi possessorem faciendi, sed proximitatis rationem haberi oportere.

Quoniam autem quis proximior sit, lex in hac successione non edixit, quæ de possessione bonorum indiuiduorum transferenda jura nostra alibi præcipiunt, ad hanc quoque quæstionem, quod paritas rationis suadet, applicare non dubitamus: Nimirum successionem in fundos LL. nostrates ad conservationem familiarum accomodasse certum est: Ex hoc principio derivanda est prærogatiua, quæ sexui masculino, quod ad successionem in prædia privilegiata, tam ex testamento *Cod. Dan. Et Norv. L. 5. C. 4. art. 6.* quam ab intestato *C. D. L. 5. C. 2. art. 63.* tribuitur; Potissimum autem inde explicanda est possessio indiuidua fundorum Norvegicorum in successione descendentium juxta *Cod. Norv. L. 5. Cap. 2. art. 63.*, quæ *Uafædes og Hovedbællers Ret* vulgo dicitur, in qua successione ordinem agnatico-cognaticum præfiniverunt *Const. 31 Maji 1737. & 26 Maj. 1752.* ita ut inter omnes hæredes primum sexus, deinde ætatis habeatur ratio, qui quoque est juris publici in regna successionis ordo *Leg. Reg. art. 27, 28, 29.*

Eandem



Eandem in fundos Colonorum prædiatorum successoria possessionis normam sequendam esse existimo, neque enim tacente heic lege novam & ab analogia juris nostri diversam regulam fingere cuiquam fas est, neque alia cogitari potest sive æquitati, sive publicis privatisque commodis magis attemperata.

Atamen in hoc quoque casu crediderim habilitatis possessoris ad fundum bene administrandum rationem simul haberi oportere, ita, ut qui ceteroquin proximior esset, sed propter paupertatem, ætatem, alianque causam ad fundum colendum parum idoneus videretur, à Domino territoriali atque propinquis repelli possit; Huic opinioni sufficiens mihi invenire præsidium videor in articulo allegato ad sectionem 3am. Quodli enim in uno vacuæ possessionis casu habilitas respici debeat hæredis ejus, qui ad fundi possessionem fit vocandus, & quidem in gratiam Domini territorialis atque cohæredum, quorum interest possessorem idoneum fore atque frugi, rationem adesse credo sufficientem ad idem quoque statuendum in quocunque alio casu, ubi quæritur, cuinam inter plures cohæredes fundi deferenda sit possessio.

Ceterum si de possessione inter dominum territorialem & cohæredes v. propinquos controversatur, dubitari nequit, iudicio familiæ herciscundæ litem esse decidendam.

5to. Colonus prædiatus jus habet fundum cuicunque voluerit vendendi, modo eundem terminis diebus juridicis in iudicio proximis obtulerit hæredibus, agnatis nempe, si paternus fuerit, cognatis vero si maternus: Sin absque prævia oblatione scotaverit, propinquis jus est fundum retrahendi intra annum atque diem si sint in regno, intra triennium vero, si extra regni fines degant: Venditor autem 20 semuncias argenti luet colono,

ERRATA:

- P. 3. Lin. 23. duis, leg. dies.
Lin. 24. alimve, leg. aliumve.
- P. 4. Lin. 5. usufructuarius, leg. usufructuarius.
- 30. jure usus, leg. jure universali usus.
- P. 5. Lin. 15. ipsitem, leg. facultatem.
- - facultaus, leg. ipsius.
- P. 9. Lin. 17. sevirutibus, l. servitutibus.
- P. 24. Lin. 12. caperint, l. coeperint.

